mentorum pondera, quæ instituto nostro ritè peragendo pária esse videantur, utpote quæ sumi solent ab ordine prioris & posterioris, ex cõditione necessarii & contingentis, perfecti & imperfecti. Item ab ordinatione omnium rerum ad finem, â mundi mole, formâ, fabrica, omniumque rerum in mundo contentarum amicâ conspiratione & similibus: Nos tamẽ peramãdæ brevitatis ergò, sequestratis ambagibus, potiora nobis visa præeunte Aristotele adducemus. Quorum primum *ex subordinatione causarum* deducit *per viam causalitatis*. Intellectus enim noster ponderãdo mundi structurã tamdiu hinc indè grassatur donec in cognitionem causæ constituentis elevetur. Nec aliter fieri potest, cum â natura nobis insitum sit, ut viso aliquo effectu, incipiamus causam ejus investigare. Sic conspectis creaturis concipimus & colligimus quoque creatorem, quia creatura tanquam effectus testatur de creatore tanquam causa. Hinc argument: hoc modo: Omne quod est, aut est à se aut ab alio causaliter productum quocunque tandem modo, sive per creationem sive per generationem: nam alterutrũ contradictionis membrum omni enti convenire necessum est: sed creaturæ non sunt â seipsis, quia impossibile est idem simul esse & non esse & aliquid esset seipso prius, quatenus sibi ipsi esset causa, posterius, quatenus â seipso produceretur, essetque sui ipsius effectus: omnis â causa prior est suo causato, & sic idem esset prius & posterius seipso, esset ut causa, non esset ut effectus. Si verò ab alio productæ, tunc porrò concludimus: Illud â quo creaturæ productæ vel â seipso est vel ab alio. Si hoc, iterum argumentamur donec tandem ad aliquam causam efficientem primam & principium primum deveniamus, quod omnes Deum nuncupant. Nam in infinitum procedere non est, ex eo, quod causæ secundæ non agant nisi in virtute primæ. Idem ferè quoad rẽ est, quãdo hoc modo quidã ratiocinantur: aut Deus est, aut non est, si non est E. dabitur secundum sine primo, dependens sine independente, imperfectum sine perfecto, finitum sine infinito. Sed hæc omnia absurda sunt E. absurdum est illud;